

bile est, quod ignis nisi solus ignis, sic impossibile est, quod deficiat per gratiam nisi solus Deus, inquit D. Thom. in præf. sed ex virtute ignis communicata, & extranea potest aliquid ignire, quod non fit ignis, vt ferrum candens: ergo aliquid, quod non est Deus, potest deficiare per virtutem communicatam à Deo: eumque deficiare fit idem, ac producere gratiam, aliqua creatura poterit principaliter illam producere.

Confirmatur primò. Unus ignis productus ab alio igne potest ignire: ergo etiam creatura habens deitatem à Deo poterit deficiare. ¶ Confirmatur secundò. Nam ignis, licet sit effectus alterius ignis, potest produci tanquam à causa principali à solo Deo: ergo ita etiam, quod gratia fit effectus Dei, & quod possit principaliter produci ab aliqua creatura.

Ad hoc argument. respondetur, quod ferrum candens, vel habet aliquas partes substantialiter ignitas, vel non? Si dicatur primum, non verificatur, quod ignis aliquid, quod non fit ignis, & ita exemplum non venit ad rem. Si dicatur secundum, ferrum non est, quod producit ignem, sed tantum se habet vt deferens virtutem ignis. Adde: Nam sicut calor ignitivus non potest procedere ab alio quam ab igne, licet ignis possit procedere ab alio quam ab igne per virtutem communicatam ab igne, & sicut semen hominis non potest procedere ab alio, quam ab homine; ita gratia non potest provenire ab alio præter Deum. Et ratio est, quia gratia est semen & virtus Dei, quæ ab alio nequit provenire nisi à solo Deo.

Per quod constat ad primam confirmationem: Nam vnus ignis productus ab alio est substantialiter ignis, & non repugnat, quod alius ab eo formaliter participetur. Repugnat tamen, quod gratia participetur nisi à solo Deo: quia eius essentia consistit in eo, quod sit participatio formalis naturæ divinæ: & quia est semen Dei, quod non potest produci ab alio semine, sed ab eo cuius est semen. ¶ Ad secundum respondetur, quod causa superior & infinita potest id, quod potest inferior, sed effectus proprius causæ superioris & infinite non potest produci à causa inferiori: gratia autem est effectus proprius Dei, ideoque non potest procedere à causa creata, licet ignis possit produci à causa infinita, qualis est Deus.

94 Arguitur quartò. Non repugnat, aliquam creaturam physicè principaliter producere gratiam nec ratione supernaturalitatis, nec ratione participationis formalis naturæ divinæ, nec ex eo quod fit intra animam: ergo absolute non repugnat, creaturam aliquam principaliter physicè producere gratiam. Antecedens quoad primam, & secundam partem probatur: nam visio beata est supernaturalis, & participatio formalis visionis divinæ; & tamen defectò

producit ab intellectu perfuso lumine gloriæ: ergo non repugnat ratione supernaturalitatis, aut ratione participationis formalis naturæ divinæ; quod gratia producat physicè principaliter ab aliqua creatura. Quoad tertiam etiam, ostenditur: nam defectò vnus Angelus illuminat alium; ergo ex eo, quod gratia fit intra animam, non repugnat creaturam aliquam producere gratiam.

Ad hoc argument. respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem quoad primam, & secundam partem: dicendum est, quod visio beata est supernaturalis per modum actionis vitalis, de cuius ratione est, quod procedat à principio intrinseco, & propterea potentia debet intrinsece elevari per virtutem intrinsecam: qua ratione non repugnat, quod sit supernaturalis, & sit participatio formalis alicuius prædicati divini, & quod procedat ab intellectu. Et propter eandem rationem non est participatio immediata, etsi formalis, prædicati divini, si per hoc intelligatur, quod descendit à Deo immediate; quamvis possit dici participatio immediata imitative: imitatur enim immediate visionem divinam prout est in se. Gratia verò, cum sit prima radix in ordine supernaturali, petit esse virtute modo participatio formalis divinæ naturæ: ideoque contra eius essentiam est, quod producat principaliter physicè à causa creata. Ad probationem quoad posteriorem partem iam constat ex dictis in tract. de Angelis: vbi diximus, illuminationem vnus ab alio non posse fieri per productionem physicam alicuius speciei, aut qualitatis.

95 Arguitur vltimò. Nam qui producit vltimam dispositionem ad aliquam formam, etiam producit ipsam formam; sed homo physicè principaliter producit vltimam dispositionem ad gratiam: ergo producit principaliter ipsam gratiam. Maior constat in vltima dispositione ignis. Et minor probatur: nam vltima dispositio ad gratiam est actus charitatis, aut contritionis; sed homo principaliter producit hos actus: ergo.

Hoc argument. in nulla sententia habet vim. Nam actus charitatis, & contritionis, vel sunt dispositiones consequentes gratiam, vt nos fatemur: & sic iam supponunt gratiam productam, cum ab ea procedant physicè effectiue; proindeque alius est influxus productivus gratiæ, & alius harum dispositionum, cum vitaliter procedant ab homine. Vel sunt dispositiones antecedentes: & sic non petunt producere physicè gratiam: vel quia sunt dispositiones tantum morales, vt volunt aliqui: vel quia sunt dispositiones physicæ provenientes ab inferiori forma, vt volunt alij. Unde maior illa tantum tenet in illo agente, qui per eandem actionem producit formam, & dispositiones, & per formam

Dub. X. An gratia fiat per creationem?  
mam excedentem, aut æquantem eius perfectionem.

§. I.

Resolutio difficultatis iuxta D. Thom.

## DUBIUM X.

An gratia fiat per creationem?

96 Oportet supponere in hoc dubio discrimen, quod datur inter creationem, & educationem, consistens in eo quod creatio est productio totius entis ex nihilo, sive ex nullo præsupposito subiecto, aut independenter ab eo; educio verò est productio formæ persè supponens subiectum à quo in suo fieri dependet, & illud transmutat.

Sed cum subiectum habeat duplicem potentiam, naturalem videlicet, & supernaturalem, seu obedientialem, ad educationem alicuius formæ satis est, quod aliqua forma procedat ex subiecto secundum quamlibet ex his potentijis modo proximè præscripto. Et ita accidentia naturalia, que sunt cum transmutatione subiecti, verè educuntur ex potentia naturali illius; & actus supernaturales ex potentia obedientiali. Difficultas tamen est, an gratia educatur verè ex suo subiecto secundum potentiam obedientialem.

Et loquimur de connaturali productione gratiæ: nam supponi debet, non repugnare per potentiam Dei absolutam, quod gratia fiat per creationem: siquidem potest produci à Deo independenter à subiecto, sicut potest independenter ab eo existere, vt cætera accidentia naturalia, vt videre licet in accidentibus eucharisticis. Circa quam difficultatem:

Duplex versatur sententia. Alia affirmativa; quam tenet Scotus in 2. dist. 37. quæst. vnic. §. Eadem argumenta, & in 4. dist. 1. vbi etiam Durand. Capreol. Palud. Gabr. Richard. Item Entriq. quolib. 4. quæst. 37. Vega in Trident. lib. 7. cap. 13. Quibus suffragantur Ferrara 4. Contra gent. cap. 57. Sotus in 4. dist. 1. quæst. 3. art. 1. afferentes gratiam concreari cum homine vt grato, qui sub hac formalitate creatur. His aggregari possunt alij docentes, proprie loquendo nec creati, nec educi, sed produci per actionem superioris ordinis. Ita Arauxo in hac 1. 2. quæst. 112. dub. 2. conclus. 2. Martinez de Prado 2. part. Metaphys. controuv. 4. art. 5. §. 4. & alij.

Alterà est negativa, docens verè produci per educationem. Ita communiter alij Theologi tam intra, quam extra Scholam D. Thom. Cuziel, Zumel, Goner, NN. Salm. in hoc tract. disp. 8. dub. 2. Suarez lib. 8. cap. 2. Valentia disp. 8. quæst. 4. punct. 2.

Cum quibus sit,

\* \* \*

97 Dicendum est, gratiam non fieri per creationem, sed proprie per educationem. Ita sentit videtur D. Thom. nam infra quæst. 113. art. 9. vbi querit, an creatio mundi sit maius opus Dei quam iustificatio: respondet, quod ex parte modi operandi est maius opus creatio quam iustificatio, licet ex parte rei operata sit maius opus iustificatio: ergo sentit gratiam non fieri per creationem, sed proprie per educationem. Id expressius docet quæst. vnic. de Verit. art. 10. ad 3. vbi ait: In anima est aliquid in potentia, quod natum est reduci in actum ab agente naturali: & hoc modo sunt in potentia virtutes acquisitæ. Alio modo aliquid est in potentia in anima, quod non est natum educi in actum nisi per virtutem divinam: & hoc modo sunt in potentia virtutes infusæ; sed eadem ratio militat in gratia: ergo sicut virtutes infusæ iuxta D. Thom. educuntur, ita gratia.

Et confirmatur. Nam iuxta D. Thom. 1. part. quæst. 45. art. 5. nulla creatura potest esse instrumentum creationis; sed humanitas Christi, & sacramenta sunt instrumenta physica gratiæ, vt tradit ipse Angel. Doct. in præf. quæst. 112. art. 1. ad 1. & 2. & 3. part. quæst. 62. art. 1. ergo non creatur, sed educitur.

98 Et probatur primò ratione: Nam gratia, cum definit esse, non annihilatur, sed corrumpitur: ergo non creatur, sed educitur. Consequenter est legitima: nam in sententia communi Philosophorum educio seu generatio, & corruptio mutuo sibi correspondent, sicut annihilatio, & creatio: itaut res, quæ proprie corrumpitur, etiam educitur, aut generatur, & non creatur; & econtrà res, quæ creatur, non corrumpitur, sed annihilatur. Antecedens verò ostenditur: tum quia, vt docet D. Thom. 1. part. quæst. 104. art. 4. iuxta pro-videntiam ordinariam nihil definit esse per annihilationem. Tum etiam: nam gratia destruitur per actionem creaturæ, & præcisè per hoc, quod separatur à subiecto; sed quod hoc modo definit esse, non annihilatur, sed corrumpitur, vt liquet in alijs accidentibus: ergo gratia, cum definit esse, non annihilatur, sed corrumpitur.

99 Probatur secundò ratione fundamentali: nam id fit proprie per educationem, quod dependet in suo fieri, & esse à subiecto, & fit per actionem transmutativam illius, iuxta dicta num. 96. sed gratia fit per actionem transmutativam subiecti, & dependet in suo fieri, & esse à subiecto: ergo fit proprie per educationem. Minor quoad primam partem probatur:

Mm 2

nam

nam forma, quæ fit per actionem diversam ac ipsum subiectum, & quæ non petit ex natura sua produci per actionem productivam subiecti, aut cum ipso subiecto, necessario producit per actionem saltem transmutativam illius, etsi actu illud non transmutet; sed gratia est huiusmodi: nam imprimis producit in nobis cum verâ transmutatione, & non in ipsa creatione animæ: deinde in Angelis, & anima B. Virginis nulla connexio erat inter naturam, & gratiam: ergo actio productiva gratiæ in illis erat transmutativa subiecti. Quoad secundam partem etiam ostenditur: nam tunc intelligimus, aliquam formam dependere in suo fieri, & esse à subiecto, quando naturaliter non potest fieri, & esse sine subiecto, sicut nec operari; sicut e converso tunc intelligimus aliquam formam non dependere à subiecto, quando naturaliter potest fieri, aut esse sine subiecto, sicut & operari; sed gratia naturaliter nequit fieri, esse, aut operari sine subiecto, cum sit accidens: ergo gratia dependet in suo esse, & fieri à subiecto.

Quæ ratio rectè perpensa, & confirmata, cum his quæ reperiuntur in rebus naturalibus, sive educis, sive creatis, quæ non expendimus brevitate causa, præcavet præcipuum effugium adversariorum, qui asserbant, gratiam ut vnitam educi ex potentia subiecti, secus verò gratiam secundum se, ut de anima rationali discunt Nostrates. Hoc, inquam, effugium præclusum manet ex nostra ratione: Tum quia inde discimus, animam rationalem educi tantum ut vnitam, quia ut vnitam dependet in esse, & fieri à subiecto, secus verò absolute, cum naturaliter possit existere separata à materia, & ita operari; sed gratia non potest naturaliter existere separata à subiecto, cum sit accidens: ergo non solum ut vnitam, sed etiam absolute educitur ex subiecto. Quinimò ex hoc ipso formatur efficax argumentum contra adversarios: siquidem saltem de potentia ordinaria eodem modo dependet in suo fieri, & esse à subiecto gratia secundum se, ac gratia ut vnitam; sed gratia ut vnitam propter hanc dependentiam fit per educationem: ergo etiam secundum se.

Tum etiam: nam gratia secundum suam entitatem fit per illam & eandem actionem, per quam vnitur subiecto; sed ut vnitam, iuxta adversarios, educitur ex subiecto: ergo etiam secundum suam entitatem. Maior probatur ab inductione: nam nullum est accidens, quod per vnam actionem producat, & per aliam vnitur subiecto: hoc enim tantum potest convenire formæ per se subsistenti, & non dependenti in suo esse à subiecto, qualis est anima rationalis: ergo per actionem, per quam vnitur gratia, etiam producit.

Confirmantur hæc omnia, & simul refellitur præcipuum fundamentum adversariorum. Nam ideo gratia non educeretur ex potentia

animæ v. g. quia, cum hæc sit entitativè naturalis, & gratia supernaturalis & superioris ordinis, nequit præcontineri in potentia illius; sed hoc est falsum: ergo educitur ex illa. Minor probatur: tum quia in eorum sententia gratia ut vnitam sufficienter continetur in potentia subiecti, ut educatur ex illa; & tamen illa vniò est supernaturalis & superioris ordinis: ergo idem dicendum est de gratia secundum suam entitatem. Tum etiam: nam vniò hypostatica ita continetur in potentia humanitatis, ut educatur, quia non apparet, qualiter vniò possit creati, & tamen est supernaturalis & ordinis superioris: ergo idem quod prius. Tum deinde: nam omnes actus supernaturales educuntur ex potentia subiecti, cum creatura sit causa principalis eorum, quin eis oblit, quòd sint supernaturales & ordinis superioris: ergo. Tum denique: nam ut aliqua forma educatur de potentia subiecti, non requiritur, quòd hoc illam præcontinueat in actu, sed in potentia, aliis non solum esset potentia passiva, sed etiam activa illius; sed ut vnitam præcontinueat hoc modo gratiam, habet sufficientem potentiam, videlicet potentiam obedientialem, quæ inest cuilibet creaturæ, distinctam formaliter à potentia naturali: ergo.

## §. II.

## Opinionis contraria motiva.

100 **A**rguitur primò ab autoritate. Nam Scriptura multis in locis docet, gratiam creati, ut ipsam. 50. *Cor mundum crea in me Deus*: Et ad Galat. 6. *iusus dicitur nova creatura*: Et ad Ephes. 2. *fideles dicuntur creati in Christo Iesu*: Et 4. *induere novum hominem, qui secundum Deum creatus est*. Ergo gratia non educitur, sed creatur.

Et confirmatur ex D. Thom. nam in hac 1. 2. quæst. 110. art. 2. ad 3. hæc habet: *Gratia dicitur creati ex eo, quòd homines secundum ipsam creantur, id est in novo esse constituntur ex nihilo*. Et quæst. 3. de Potent. art. 8. ad 3. docet, gratiam creati, secundum quòd *creari*, potest forma non subsistenti convenire. Et tandem in 2. dist. 26. quæst. vnic. art. 2. ad 5. ait: *Cum gratia corrumpitur, simul etiam in nihilum redit*; sed creatio correspondet annihilationi: ergo iuxta Div. Thom. gratia creatur.

Ad argument. respondetur, posse retorqueri in sententiam contrariam: Nam etiam scriptura sacra pluribus in locis docet, gratiam generari, ut Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* Et 1. ad Corint. 4. *Per evangelium ego vos genui*: Et Iacob. 1. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis*, qui modus loquendi habetur etiam in Trid. sess. 6. cap. 3. & 4. generatio autem est educio, & non creatio. Dicendum

dum est ergo, quòd gratia dicitur creati, non quia producat ex nihilo, sed quia infunditur à Deo nullis præcedentibus meritis: ut exponit D. Thom. loco primo citato, ubi post verba relata statim adiecit: *id est non ex meritis, secundum illud ad Ephef. Creati in Christo Iesu*. Per quod constat ad confirmationem, & maxime ad testimonium D. Thom.

Ad secundum testimonium dicendum est, D. Thom. in eo solum excludere potentiam naturalem, ex qua gratia fiat, quasi supponendo, quòd fit ex subiecto secundum potentiam obedientialem: cum dicat: *Non habet talem materiam, in qua fit hoc modo in potentia, quòd per agens naturale adduci possit ad actum, sicut est de alijs formis naturalibus*. ¶ In tertio testimonio D. Thom. non loquitur de annihilatione propriè dicta, sed de corruptione formæ, quæ totum suum esse amittit, ita ut nulla pars eius in se remaneat, sed tantum in potentia subiecti: in quo sensu etiam in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 2. ad 1. docet, formam corruptibilem annihilari.

101 **A**rguitur secundò: Nam anima rationalis creatur: ergo etiam gratia. Consequentia probatur: tum quia gratia est simpliciter perfectior anima rationali: ergo si hæc creatur, etiam gratia. *Tum etiam*: Quia actio productiva gratiæ debet esse perfectior actione productiva animæ; sed educio est imperfectior creatione: ergo si anima rationalis creatur, etiam gratia. *Tum denique*: Nam sicut anima rationalis est ex natura sua incorruptibilis, & propterea creatur, ita gratia ex natura sua est incorruptibilis, cum ex natura sua petat in æternum durare, ut insinuavimus ex D. Thom. suprâ num. 81. ergo etiam creatur.

Ad hoc argument. respondetur concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ad cuius primam probationem dicendum est, quòd gratia ita est perfectior anima rationali quoad esse specificum, quòd anima rationalis est perfectior gratia quoad modum habendi esse. Modus autem productionis est iuxta modum essentiali: & propterea anima rationalis terminat nobiliorem modum producendi quam gratia, ita ut illa fiat per creationem, & ista per educationem. Et inflatur hæc probatio in anima equi respectu formæ celestis: nam prima est absolute perfectior; & tamen fit per educationem, & forma celestis per creationem. Inflatur etiam in visione beatifica: quæ absolute perfectior est anima rationali; & nullus dubitat, quòd fit per educationem, cum intellectus noster sit illius causâ principalis.

Ad secundam probationem respondetur concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, quòd alia est præcontinentia per modum potentie passivæ, & alia per modum potentie activæ: nam ut aliqua forma præcontinueatur in aliqua potentia activa

nis naturalis: quòd satis est, ut gratiæ productio fit quoad speciem simpliciter perfectior actione productiva animæ rationalis; quamvis hæc quoad modum sit perfectior actione productiva gratiæ. Et propterea August. in Ioann. 14. inquit: *Maius opus est, ut ex impio iustus fiat, quam creare celum, & terram*. Et inflatur in actione Dei productiva animæ equi, quæ est simpliciter perfectior actione creativa celorum; quamvis hæc sit perfectior secundum quid, hoc est quoad modum.

Ad tertiam respondetur, quòd anima rationalis ita est ex natura sua incorruptibilis, quòd subsistat persè: & propterea fit per creationem, & nequit destrui per potentiam Dei ordinariam. Gratia verò, etsi petat ex natura sua durare in æternum, nec subsistit persè, nec plene dominatur subiecto in hac vita: & hac ratione & potest destrui per potentiam Dei ordinariam, & relinquit suum non esse in subiecto: & consequenter nec annihilatur, nec creatur.

102 **A**rguitur tertio. Forma, quæ non præcontinetur in potentia subiecti, non educitur, sed creatur; sed gratia non præcontinetur in potentia animæ rationalis, v. g. vel Angelis: ergo non educitur, sed creatur. Minor probatur: nam id, quòd entitativè est supernaturale, nequit præcontineri in potentia entitativè naturali; sed gratia est entitativè supernaturalis, & subsistat Angelis, & animæ rationalis entitativè naturalis: ergo gratia nequit præcontineri in potentia animæ rationalis: aut Angelis.

Per quod præcluditur commune effugium ad potentiam obedientialem: siquidem hæc entitativè est naturalis; sed iuxta dicta gratia nequit præcontineri in potentia entitativè naturali: ergo nec in potentia obedientiali.

Et confirmatur primò. Nam potest gratia produci per vnam actionem, & per aliam vnitri subiecto: ergo defacto ita producit, cum id exposcat dignitas gratiæ; sed gratiam fieri hoc modo idem est, ac creati: siquidem fit independentem à subiecto: ergo gratia fit per creationem.

Confirmatur secundò. Nam gratia in pluribus fit in eodem instanti ac suum esse, ut in Angelis, B. Virgine, & anima Christi: ergo fit per creationem. Probatur consequentia: nam non fit cum transmutatione subiecti; sed quod non fit cum transmutatione subiecti, fit per creationem: ergo gratia non fit per educationem, sed per creationem.

Ad argument. respondetur concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, quòd alia est præcontinentia per modum potentie passivæ, & alia per modum potentie activæ: nam ut aliqua forma præcontinueatur in aliqua potentia activa

opus est, quod sit æqualis, aut superioris perfectionis cum forma, proindeque si forma est supernaturalis, etiam potentia debet esse entitativè supernaturalis. Ceterum, ut aliqua forma præceteratur in aliqua potentia passiva, non debet hæc esse æqualis perfectionis; eum unumquodque recipiat inquantum est in potentia: quare nec petit esse entitativè supernaturalis, etsi forma dependens ab ea sit entitativè supernaturalis, sed satis est, quod importet capacitatem passivam ad eam, & quod forma naturaliter, non possit existere sine tali potentia. Et hæc omnia verificantur in gratia, & potentia obedientiali animæ rationalis, aut Angeli.

Ad primam confirmationem respondetur, permisso antecedenti, negando consequentiam. Nam aliud est, quid Deus per potentiam suam absolutam possit facere supra exigentiam naturalem rerum: Aliud verò, quid petat res iuxta eius connaturalitatem. Licet autem accidens per potentiam Dei absolutam possit produci independentè ab subiecto; exigit tamen, ut dependentè ab illo producatur: ita est supra eius exigentiam per vnam actionem produci, & per aliam vni. Pariter ergo dicimus de gratia habituali, quia est verum accidens, & ita, qualiscunque dignitatis sit, petit ex natura sua per eandem actionem produci, & vni subiecto: Sicut vno hypostatica, quæ quia est quidam modus diminutus, etsi superioris ordinis, non potest produci nisi dependentè ab humanitate.

Ad secundam respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Nam ad veram rationem educationis non requiritur, quod actio productiva formæ actu transmutet eius subiectum, sed sufficit, quod ex se sit transmutativa. Et ut cognoscamus, quando actio ex se est transmutativa, plura suppetunt signa, quorum præcipuum est, quod forma non habeat connaturalem nexum cum subiecto, ut in præsentî contingit.

## DUBIUM XI.

An homo sine peculiari revelatione possit certè certitudine fidei, vel theologica scire se esse in gratia?

103 **D**E hoc dubio agit expressè D. Thom. infra quæst. 112. art. 5. In quo duo supponimus, & vnum inquirimus. Supponimus primò, posse hominem certè cognoscere se esse in gratia, si hoc ei specialiter revelatur, ut contingit pluribus Sanctis. Nam de Apostolis, Ioann. 13. dicitur, *Vos mundi estis*: de B. Virgine, Luce 1. *Ave gratia plena*: & de Adamo, & Angelis in via docent satis probabiliter plures Theologi. Quinimò D. Thom. loco citato inquit, hoc aliquibus sanctis speciali privilegio revelari, ut securitatis gaudium in hac vita

in eis incipiat, & confidentiis, & fortius magnifica opera prosequantur, & mala præsentis vite sustineant.

Supponimus secundò, neminem teneri præcisa speciali revelatione à Deo ad credendum fide divina se esse in gratia. Hæc suppositio est de fide, definita à Trident. contra Lutherum: qui docebat, fideles debere certè sibi persuadere remissa esse sibi à Deo peccata, & in hac persuasionem omnino quiescendum esse, omni dubitatione remota. Calvinus sequutus est perfidum Lutherum lib. 3. Instit. toto serè cap. 3. Sed hanc inanem fiduciam damnat Trident. sess. 6. cap. 9. & can. 12. 13. & 14.

Sed ut paucum controversiæ intelligatur, duplex certitudo distinguenda est: alia moralis, metaphysica altera. Metaphysica est illa, cui non potest subesse falsum. Et hæc potest esse, vel obfcura, vel evidens: obfcura est, quando motivum ita infallibiliter connectitur cum obiecto cognito, ut non connectatur cum illo tanquam causa cum suo effectu, aut tanquam effectus cum sua causa, sed præcisè se habet ut testimonium extrinsecum alicuius loquentis, qui nec fallere, nec falli potest, ut Deus: & hæc certitudo spectat ad fidem theologicam: sive testimonium Dei respiciat totam Ecclesiam, sive respiciat personam particularem. Evidens est, quando motivum habet infallibilem connexionem per modum causæ, aut effectus cum obiecto cognito: & hæc spectat ad scientiam. Moralís est illa, cui absolute potest subesse falsum; motivum tamen credendi habet aliquam connexionem cum obiecto. In quo tres gradus possunt reperiri: alius infimus, qui actualem formidinem non excludit: ut dum vnus homo infimè notæ dicit, *vidi hoc*. Alius medius, qui actualem formidinem excludit, non tamen potentiam ad formidandum: & ad hunc modum se habet testimonium plurimum, & gravium hominum, præcipue si non adit motivum rationale ad dubitandum, quod quidem tollit actualement formidinem; non verò potentiam ad formidandum, quia illi homines fallere, & falli possunt, & intellectus hoc motivum considerans potest formidinem concipere. Tertius, & supremus, qui excludit etiam potentiam ad formidandum; quia fundatur in testimonio omnium hominum, de quibus incredibile est, quod ad fallendum conspirent. Et hæc certitudinem habemus de hac propositione, *Roma est*.

Inquirimus ergo, an sine peculiari revelatione Dei possit quis aliqua certitudine ex prædictis scire se esse in gratia?



## S. I.

Nostri sententia tribus assertionibus eluctata.

104 **D**icendum est primò, nullum posse scire se esse in gratia. Hæc assertio est communis inter Theologos: eamque admittunt adhuc hæretici. Et probatur ratione D. Thom. ex loco allegato deducta: nam tuac potest dari certitudo de aliquo obiecto, quando motivum connectitur infallibiliter cum illo, vel per modum causæ, vel per modum effectus, & ita accidit in demonstrationibus naturalibus; sed nulla res naturalis connectitur infallibiliter cum gratia sive per modum causæ, sive per modum effectus: ergo nullus per principia purè naturalia potest certè scire se esse in gratia. Minor probatur: nam imprimis nulla res naturalis potest esse causa gratiæ, ut constat ex dictis dub. 9. quinimò, cum Deus sit in se nobis ignotus pro hoc statu, nequit esse medium, ut cognoscat aliquis se habere gratiam: deinde nullus effectus naturalis est proprius gratiæ, & procedens persè ab illa: ergo nulla res naturalis sive per modum causæ, sive per modum effectus connectitur infallibiliter cum gratia. Accedit, quòd nulla res naturalis potest esse medium ad cognoscendam possibilitatem gratiæ: ergo potiori titulo non potest esse medium ad cognoscendam existentiam illius in aliquo subiecto determinato: Consequentia patet: & antecedens supponitur ex alibi dictis.

105 Dicendum est secundò, iustum absque speciali revelatione non posse certificari in hac vita de sua iustificatione certitudine, cui non potest subesse falsum. Hæc assertio post Trid. est adeo certa, ut merito sententia opposita Catharini à multis censetur erronea. Et probatur primò ex Concilio relato sess. 6. cap. 9. vbi ait: *Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet; sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest: cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum.* Neque locum habet interpretatio Catharini limitans decretum Concilii ad certitudinem fidei vniuersalis spectantis ad totam Ecclesiam. Tum quia verba Concilii vniuersalia sunt, quæ proinde se extendunt ad fidem quancunque, cui falsum subesse non possit. Tum etiam: nam ratio Concilii ad eam etiam fidei certitudinem extenditur, quæ experimento propriæ conscientiz haberi possit, ut liquet ex illis verbis, *seipsum, suamque propriam infirmitatem & in-*

dispositionem respiciat: ergo iuxta Concilium, sublata certitudine fidei sive vniuersalis, sive particularis, nullus potest de sua iustificatione esse certus certitudine, cui non potest subesse falsum.

Sed inquit Catharinus, Concilium consultò dixisse *formidare, & timere potest*, non autem *debet*, quæ verba longè diuerterunt sensum continent. ¶ Sed contra est. Nam verbum *potest* ex prædicto decreto idem valet ac *licet potest*. Non dixit autem Concilium *debet*, sed *potest*: quia noluit fideles obligare ad non excludendam actualement formidinem de propria iustificatione, sicuti obligat ad illam excludendam de misericordia Dei, de merito Christi &c. Et quia decretum Concilii de promptum fuit ex facris litteris.

Probatur secundò ex Scriptura. Nam Ecclesiastes 9. dicitur: *Nescit homo, etrum amare, an odio dignus sit*, quo testimonio vtitur D. Thom. loco suprà relato Proverb. 20. *Quis potest dicere: mundum est cor meum.* ¶ Ad hæc, & alia permulta testimonia varias confixerunt hæretici, & Catharinus cabillationes. Sed nobis sufficit pro earum impugnatione expositio SS. PP. qui illa iuxta sensum nostræ assertionis interpretantur. Videantur Hieronym. ad primum locum relatum, Beda ad secundum, August. lib. de Spirit. & anim. cap. 59. Bernard. sermone 1. Septuag. & alij PP.

Probatur tertio ratione. Quia nullus potest esse certus de sua iustificatione, nisi sit certus de dispositione ad illam: sed nullus de prædicta dispositione potest esse certus, certitudine cui non possit subesse falsum citrà revelationis privilegium: ergo nullus potest absque speciali revelatione esse certus, certitudine cui non possit subesse falsum, de sua iustificatione. Maior videtur certa: nam conclusio aliqua nequit esse certa, nisi vtraque præmissa sit certa: cum ergo certitudo nostræ iustificationis citrà revelationis privilegium pendeat tanquam ex præmissa speciali ex certitudine dispositionis, nequit certitudo illius deduci nisi ex certitudine istius. Minor verò probatur: nam dispositio proxima requisita ad iustificationem plura requirit tam ex parte penitentis, quam ex parte ministri: nam ex parte penitentis requiritur dispositio supernaturalis, ex parte ministri intentio absolventi, & baptizandi, si iustificatio fit per suspensionem sacramenti; sed homo, citrà revelationis privilegium, nequit esse certus certitudine excludente omnem formidinem, quòd dispositio sit supernaturalis, cum scientia naturalis ad hoc pervenire non possit, & multò minus de intentione ministri, ut ex se liquet: ergo extra revelationis privilegium nullus potest esse omnino certus de dispositione proxima requisita ad iustificationem.

106 Ex dictis inferitur, hominem non pos-

se esse certum de sua iustificatione certitudine theologica. Nam certitudo conclusionis theologica necessario debet supponere (saltem in casu quaestionis) aliquam propositionem uniuersalem à Deo reuelatam, & nobis ab Ecclesia propositam; sed hæc propositio, *ego sum in gratia*, non supponit propositionem reuelatam: ergo non potest esse certa certitudine theologica. Minor probatur: nam propositio absoluta, & particularis non continetur sub uniuersali conditionata, usque dum constet conditionem esse completam in hoc individuo; sed omnes propositiones generales de hominis iustificatione à Deo reuelatæ, & ab Ecclesia propositæ sunt conditionatæ, v.g. quod consequetur gratiam, si verè & sincerè pœnitent, & non constat ex aliquo principio naturali hanc conditionem esse completam in me v.g. ergo.

Et confirmatur ex dictis prima assertione. Nam conclusio theologica, & certa de nostra iustificatione non potest haberi ex causis, aut ex effectibus: ergo homo non potest esse certus se esse in gratia certitudine theologica. Antecedens quoad primam partem probatur: nam causa gratiæ in nobis est Deus, minister sacramenti, & dispositio nostra; sed nullus potest esse certus de Deo causante gratiam, cum in se sit nobis ignotus, iuxta illud Job 36. *Eccc Deus magnus vincens scientiam nostram*: nec de dispositione propria, cum hæc debeat procedere ex motivo supernaturali, & nemo potest euidenter cognoscere, si contritio, vel attritio procedit ex motivo supernaturali, & multo minus de intentione ministri, quæ occulta prorsus nobis est: ergo conclusio theologica certa, cui non potest subesse falsum, non potest haberi ex causis. Quoad secundam partem etiam probatur: nam nullus est effectus habens necessariam connexionem cum gratia, qui sit certò & infallibiliter cognoscibilis independentè à reuelatione diuina, propter maximam conformitatem quam habet dilectio naturalis Dei super omnia cum simili dilectione supernaturali: ergo nec haberi potest ex effectibus.

107 Dicendum est tertio, posse iustum de sua iustitia esse certum certitudine morali excludente omnem actualem formidinem similem ei, quæ credimus Petrum celebrantem esse Sacerdotem: scilicet verò certitudine morali excludente potentiam ad formidandum, qualis est, quòd Roma existit. Ita frequenter Theologi contra nonnullos infra referendos.

Quoad posteriorem partem probatur ex Trident. loco supra relato ubi ait, quemlibet iustum posse formidare de sua gratia dum seipsum, suamque infirmitatem considerat; sed certitudo moralis, quæ credimus Romam existere, excludit omnem potentiam ad formidandum: ergo nullus iustus, seclusa speciali reuelatione potest esse ita certus de sua gratia, ac certus est de eo, quòd Roma existit.

Et confirmatur primò. Quia nullus, quantumvis magna sanctitatis, potest habere tanta sanctitatis suæ signa, quanta habentur de eo, quòd Roma existit: nam hæc habentur ex publico testimonio tot virorum, ore, & scripto id attestantium, totque sæculis constanter firmata, ut nulla penitus relinquatur potentia ad dubitandum; constat autem, quòd nullus cuiusvis sanctitatis habet tot, & tam ingentia signa illius: ergo.

Confirmatur secundò. Nam si quis habere posset tantam certitudinem de hac propositione, *sum in gratia*, ac de ea, *Roma existit*, posset iurare sine temeritate, quòd est in gratia, sicut potest iurare, quòd est Roma; sed nullus iurare potest sine temeritate, & seclusa reuelatione, quòd est in gratia, ut colligitur ex Innocent. III. in cap. *Acceptimus*, de *Purgatione canonica*, ubi reprobavit tanquam temerarium iuramentum cuiusdam Archiepiscopi Bizantiini, qui iurauerat se esse immanem à quibusdam criminibus, de quibus accusabatur, existimans talia crimina esse remissa per pœnitentiam: ergo.

108 Quoad primam partem probatur eadem assertio ex D. Thom. loco supè relato, ubi ab illis verbis *Tertio modo cognoscitur* concedit aliquibus iustis insignis sanctitatis specialem aliquam noticiam suæ gratiæ, quam communitè non habent alij iusti; sed commune est omnibus iustis habere aliquam cognitionem probabilem de sua sanctitate: ergo ex mente Divi Thom. aliqui iusti citra specialem reuelationem possent esse certi de sua gratia certitudine excludente omnem formidinem actualem. Videantur ad hoc plura testimonia tam Sacræ Scripturæ, quam SS. PP. quæ referunt NN. Salm. loco supra relato num. 11.

Et probatur eorum ratione: Nam id, quod conducit ad maius solatium, pacem, & profectum aliquorum virorum miræ sanctitatis, qui maximo studio perfectioni incumbunt, & alias non opponitur Scripturæ, Concilijs, & SS. PP. attenda suavi providentia Dei, concedendum est illis; sed habere certitudinem de sua gratia excludentem actualem formidinem non opponitur Scripturæ, Concilijs, nec SS. PP. & conducit ad solatium, pacem, & profectum talium virorum: ergo iustus potest esse de sua iustitia certus certitudine morali excludente omnem formidinem actualem, similem ei, quæ credimus Petrum celebrantem esse Sacerdotem. Minor quoad secundam partem non indiget probatione. Siquidem nulli dubium est, quòd similis cognitio in huiusmodi personis est medium ad maiorem Dei amorem. Quoad primam ostenditur: nam Scriptura, & PP. frequenter docent, iustos posse habere aliquam moralem certitudinem de sua gratia, ut legenti testimonia, quæ afferunt Salm. constabit; deinde Trid. solùm

lùm excludit certitudinem, cui non potest subesse falsum, vel quæ tollat potentiam ad formidandum, ut constat ex dictis: ergo habere certitudinem moralem excludentem actualem formidinem non opponitur Scripturæ, Concilijs, nec SS. PP.

## §. II.

## Opposita sententia.

109 PRO sententia opposita secundæ, & præcipuè assertioni referuntur Lutherus, & Calvinus, & alij sectarij, necnon Catharinus in opus. de cert. Gratia, & in Apologia contra Sotum. Contra tertiam, & secundam eius partem sentiunt Ricardus art. 9. Vega lib. 9. in Trid. cap. 46. & 47. Soto in Apologia cap. 3. & 4. quorum sententiam probabilem reputat Greg. Martinez ad præcitatum quæst. 112. dub. 11. conc. 6.

Arguitur ergo nonnullis autoritatibus sacræ paginæ: Nam ad Rom. 8. dicitur: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei*. Quem locum exponens Chryl. homil. 14. hæc ait: *Cum autem Spiritus testatur, quæ tandem restat ambiguitas? Nam si vel bonus, vel Angelus, vel Archangelus, vel alia huiusmodi potestas hoc polliceretur, par, convenientisque esset nonnullos baptizare, par summa essentia, & ea quidem, quæ hoc largita est donum, nobis testimonium asserat, quis tandem de dignitate ambigat? Potest ergo haberi infallibilis certitudo de eo, quòd quis est in gratia.*

Item ibidem inquit Apost. *Certus sum, quia neque mors, neque vita Or. poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu*: ergo certus erat Paulus de sua iustitia coram Deo. Tandem, misis alijs testimonijs, 2. Petri 1. dicitur: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*: ergo ex operibus bonis certi esse possumus de nostra electione, & sanctitate.

Ad primum testimonium cum expositione Chryl. Respondetur, verba Apost. non dirigi ad singulos iustos diuivise sumptos, sed ad totam Ecclesiam, cui Spiritus sanctus testatur habere spiritum adoptionis. Et huius rectæ expositionis signum est, quòd Apostolus in tota epistola ad Romanos confert Ecclesiam cum Sinagoga, contendens Sinagogam habuisse spiritum timoris, Ecclesiam verò spiritum adoptionis, seu amoris. ¶ Ad secundum testimonium, Respondetur, posse concedi Paulum fuisse certum de sua gratia coram Deo. Sed nihil inde contra nos; quia prædicta certitudo potuit dimanare ex speciali reuelatione. Quam plures colligunt ex illo 2. ad Corinth. 12. *Sufficit tibi gratia mea*. Vel dic, Paulum in illo loco loqui tantum de prædestinatis in communi, de qui-

bus antea loquebatur. ¶ Ad tertiam respondeatur, sensum illius non esse, quòd per bona opera possimus nostram vocationem, & electionem facere ita certam, ut ex talibus operibus certificari possimus, quòd sumus ex numero electorum; sed quòd ex parte nostra debeamus nos gerere operantes opera digna vitæ æternæ, ut, quantum fieri potest, illam certam faciamus coram Deo.

110 Arguitur secundò. Nam de fide est, accedentem ad pœnitentiam, vel baptismum ritè dispositum accipere gratiam iustificantem; sed potest quis certò cognoscere se ritè dispositum accedere ad hæc sacramenta: ergo potest quis certa fide, cui non possit subesse falsum, credere se habere gratiam iustificantem. Consequentia est legitima, iuxta dicta num. 106. circa evidentem conclusionem theologicam. Minor verò probatur: tum quia quis valet se iudicare, qua fide, & intentione illa sacramenta recipiat. Tum quia sequeretur, hominem accedentem semper ad sacramenta cum huiusmodi dubia dispositione peccare: quia tenemur cum dispositione certa ad illa accedere. Tum denique: nam aliis diuina providentia effectus diminuta; cum tam occultam dispositionem ex parte nostra ad iustificationem requirat, ut eos, qui illam habituri sunt, lateat.

Confirmatur primò: Potest homo esse certus de iustificatione aliorum: ergo etiam de propria. Consequentia constat. Et antecedens probatur: nam qui parvulum baptizat, potest esse certus de valore sacramenti, cum possit esse certus de materia, & forma, & de sua intentione: ergo etiam de pueri baptizati iustificatione; cum ad fructum illius non requiratur aliqua positiva dispositio ex parte ipsius pueri.

Confirmatur secundò. Ecclesia non habet maiorem certitudinem de dispositione illius, qui patitur pro Christo martyrium, quam ipse martyr; sed Ecclesia omnino certò cognoscit illum fuisse mortem pro Christo, quòd infallibiliter conuenit cum gratia, cum illum adscribat cathologo Sanctorum: ergo etiam ipse martyr cognoscit certò se habere gratiam.

Ad argument. responditur concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius primam probationem dicendum est, quòd dispositio requisita in adulto ad recipienda sacramenta debet esse supernaturalis, de qua nullus potest esse omnino certus nisi privilegio reuelationis. Accedit, quòd requiritur ad eorum valorem intentio ministri, de qua nullus potest habere tantam certitudinem, cui non possit subesse falsum. ¶ Ad secundam probationem dic, quòd ad licitam receptionem sacramentorum satis est ea certitudo moralis, quæ in humanis rebus intervenit. Nec maiorem diligentiam quam humanam exigit Apostolus in conscientia exami-

ne, sicut nec maior certitudo requiritur ad hoc, vt aliquis consecretur. Hac enim certitudo est moralis, & sufficiens ad formandum iudicium practicum omnino certum, & consequenter ad licitam receptionem, & administrationem sacramentorum. ¶ Ad tertium respondetur, sufficere, vt providentia Dei non sit diminuta, quod datur certitudo moralis de dispositione ad sacramentum; hac enim habita, non cruciantur perpetua anxietate fideles, sed inter metum, & spem suam salutis ambulant, quod spectat ad suam providentiam Dei.

Ad primam confirmationem respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Et ratio disparitatis tacta est in ea, quia parvulus non potest habere dispositionem vllam supernaturalem, & propterea ex parte illius nulla dispositio requiritur ad validum, & fructuosum sacramentum baptismi recipiendum; alias ex parte ministri non requiritur aliquis actus sibi incognoscibilis, sed tantum intentio: suppositis ergo debita materia, & forma, que, cum naturalia sint, possunt ab eo omnino certo cognosci, poterit certo cognoscere, supposita revelatione generali, quod parvulus est in gratia. Iustificatio autem propria, prout pendet ex propria dispositione, non datur, nisi talis dispositio sit supernaturalis, sive iustificatio fiat extra sacramentum, sive intra; & hæc mihi certa esse non potest, sicut nec intentio ministri, si iustificatio fiat per collationem sacramenti.

Ad secundam respondetur concedendo maiorem; & negando minorem. Nam dupliciter de martyre loqui possumus: vel ante, vel post mortem. Si sermo fit de eo ante mortem, sic non canonizatur ab Ecclesia: ideoque nequit inde colligi Ecclesiam scire certum illum esse in gratia. Si sermo sit de ipso post mortem, tunc sicut Ecclesia scit certo esse in gratia, ita ipse martyr, cum percipiat fructum martyrii.

III Arguitur tertio. Nam potest quis esse certus certitudine infallibili de sua fide: ergo etiam de sua gratia, & charitate. Antecedens est D. Thom. in art. supra relato ad 2. vbi hæc habet: *De ratione scientia est, quod homo certitudinem habeat de his, quorum habet scientiam. Et similiter de ratione fidei est, quod homo sit certus de his, quorum habet fidem. Et hoc ideo, quia certitudo pertinet ad perfectionem intellectus, in quo predicta dona existunt: & ideo quicumque habeat scientiam, & fidem, certus est se habere.* Consequentia vero probatur: nam ideo non possit quis esse certus de sua gratia, & charitate, quia sunt quid supernaturale; sed etiam fides theologica est supernaturalis: ergo si potest habere certitudinem infallibilem de sua fide, etiam de sua gratia, & charitate.

Huius argumento dupliciter respondetur:

primò cum Caietano, Bañez, Arauxo, Greg. Martinez, Gonet, & alijs, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quam in prædictis verbis D. Thom. innuit: nam fides, sicut scientia, est habitus certus, & receptus in intellectu, qui est potentia reflexiva potens reflecti super seipsum, ideoque potest per ipsum actum fidei de eodem certificari exercite. Hoc autem convenire non potest gratia, & charitati: quia certitudo non est propria perfectio illarum, vtpote propria potentia libert catholice valet licite iurare se esse fidelem; quod non possit facere, nisi haberet infallibilem certitudinem de sua fide: sed non potest iurare se esse in gratia.

Respondetur secundò, & non minùs probabiliter cum Suarez lib. 9. de Gratia cap. 12. num. 12. & alijs socijs, necnon cum NN. Salm. loco supra relato, num. 17. negando antecedens, quia nullam recognoscunt disparitatem: cum, sicut iustus non habet speciem propriam gratia, ita fidelis non habeat speciem propriam fidei supernaturalis vt talis. Nec autoritas D. Thom. vrget: Nam tantum loquitur de certitudine quoad obiectum creditum, vt liquet ex illis verbis: *De ratione fidei est, quod homo sit certus de his, quorum habet fidem: & ad hoc vt sit certus de his, que fides proponit credenda, satis est propositio univèrsalis Ecclesie: quæ sufficiens etiam est ad iurandum se habere fidem: licet non qualitatem illius, quia fides abstrahit à naturali, & supernaturali, & non potest esse certus, quod assensus procedit ex motivo supernaturali. Gratia autem determinata est forma supernaturalis, & propterea non dat locum ad certitudinem illius sub illa abstractione. Et hoc est discrimen intentum à Div. Thom. inter gratiam, & fidem. Nec in illis verbis, *Et ideo quicumque habet scientiam, & fidem, certus est se habere*, designat scientiam, aut fidei qualitatem, sed solum evidens experimentum credendi sub dicta abstractione.*

III Adversus tertiam assertionem, & primam eius partem videntur sentire Medina, Arauxo, Gonet, & alij negantes tantam certitudinem, quantam nos concessimus. Et arguitur: nam Concil. dicit, quod quilibet iustus formidare debet de sua iustitia: ergo non potest habere certitudinem moralem excludentem actualem formidinem. ¶ Confirmatur primò. Quia nullus absque temeritate potest iurare se esse in gratia; sed potest quis iurare se esse Sacerdotem: ergo non est tanta certitudo de vno, ac de altero. ¶ Confirmatur secundò. Nam personæ insignis sanctitatis solent formidare de sua iustitia; ergo certitudo eorum moralis non excludit actualem formidinem. ¶ Confirmatur tertio. Nam hæc certitudo est talis, vt plerumque ei subsit falsum,

Ad

Ad argument. respondetur, Concilium solum asserere, quod homo possit formidare: cum quo cohæret, quod habeat actualem securitatem moralem. ¶ Ad primam confirmationem respondetur, quod sicut potest quis iurare se credere esse Sacerdotem, secus verò absolute se esse Sacerdotem; ita potest iurare se credere esse in gratia, licet non possit iurare absolute se esse in gratia: quia illa, de quibus tantum habet certitudinem moralem prædictam non potest cum iuramento affirmare. ¶ Ad secundam respondetur, huiusmodi personas plerumque formidare de sua iustitia, Deo sic ordinante propter bonum humilitatis, non quia non possint habere vrgentissima signa, & motiva ad securitatem moralem. Per quod constat ad tertiam.

### DISPUT. III.

#### De Gratia actuali.



Explicata iam necessitate gratia specialis ad actus supernaturales, naturaque & perfectione gratia habitualis, superest, vt de gratia actuali tractemus: cui hanc vltimam disputationem dicamus; quamvis si pro merito tractanda foret, esset necessarium integrum volumen. Gratia actualis, que termino incomplexo dicitur *auxilium*, nihil aliud est, quam id quo per modum transeuntis ad fidem, & pietatem promovetur: ad distinctionem gratia habitualis, que est donum ex natura sua permanens non solum iustificans intrinsece hominem, faciensque Deo acceptum, & amicum, vt late diximus disp. præc. sed etiam dans vires etsi radicales ad operandum permanentes in linea supernaturali: & ad distinctionem virtutum, & habituum eam sublequentium, que præstant vires proximas ad operandum etiam permanentes in eadem linea. Prædicta gratia actualis multipliciter solet dividi à Doctoribus. Sed famosior inter illos divisio, prætermisissis alijs, est, qua dividitur in sufficientem, & efficacem: sufficiens est illa, que dat posse operari; efficax verò, que cum operatione semper coniungitur. Hanc divisionem satis expressit N. Cyril. tom. 2. de Adoratio. lib. 1. fol. mihi 342. litt. B. his verbis: *Id porò esse argumento evidentissimo potest, nos non verbis tantum, & admonitionibus in animum immisissis (en gratiam sufficientem) incitari, vt à peccatis recedamus, sed etiam ad eam erga nos benignitatem descendere omnium Salvatorem Deum, vt efficacem nos auxilio iuvet, iuxta illud: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me. Nam,* Tom. III. Paul. Theol. Salm.

### DUBIUM I.

An defectò detur gratia actualis verè sufficiens separata ab efficacè

PLura dubia movent NN. Salmant. circa necessitatem gratia sufficientis. Nam tract. proxime relato disp. 5. dub. 2. inquirunt: *Utrum primum auxilium gratia supernaturalis actualis intrinsece consistat formaliter in aliqua operatione supernaturali.* Et ibidem dub. 3. *Utrum primum auxilium intrinsecum gratia actualis sit formaliter ipse Deus vt intimè asiciens intellectui; an verò quadam qualitas fluida ipsi inhærens?* Ibidem dub. 4. *An ad actus supernaturales voluntatis requiratur auxilium actuale ipsi voluntati inhærens; vel sufficiat auxilium impressum intellectui?* Ibidem dub. 5. *Utrum in habentibus virtutes supernaturales requiratur aliud auxilium dans posse ad actus, què prædictis virtutibus correspondent?* Et tandem disp. 6. dub. 3. *Utrum Deus conferat reipè sà omnibus, & singulis adultis auxilia supernaturalia sufficientia ad salutem?* ¶ Sed ad primum satis constat ex dictis tract. 2. disput. 3. num. 35. & præcipue 36. necnon disp. 1. dub. 5. per totum. Ad secundum etiam constat tract. & disp. 3. citata dub. 2. Ad tertium respondetur requiri auxilium voluntati inhærens, & non sufficere auxilium intellectui impressum, à paritate ipsius intellectus. Ad quartum satis liquet ex alibi dictis in hoc opere: vbi sæpè diximus, conceptum vltimæ actualitatis, & existentia non posse produci principaliter ab aliqua causa creata, sed tantum instrumentaliter & in virtute Dei: & propterea habens virtutes supernaturales persè sufficientes ad eliciendas operationes eis correspondentes, sumptis secundum

Nn 2 diu